



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Antiquae Lectionis Tomus ...

In Qvo XVI. Antiqua Monumenta Ad Historiam Mediae Aetatis Illustrandam,
Nunquam Edita

Canisius, Heinrich

Ingolstadii, 1601

Epistola XXXV. Charissimo Hermano Aquilæ Antistiti. Albinus Salvtem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64144](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64144)

Opto, si fieri valeat, quatenus me tuæ paternitatis literis reficias, ut auiditatis meæ oculis legam, quod auribus audire voluiffem, si fortè fieri valuiffet. Concessum enim humano generi, pectoris arcana chartis mandare, & literis innotescere tacentibus, quod lingua non valet loquenti. Nam & B. Paulus Apostolus absentes filios pietate admonitionis sepius erudire solebat; ut quotidiana literarum lectio æternam patris præceptorum, mentibus filiorum infingeret memoriam.

Sanctitatis vestræ auctoritatem diuina pietas ad exaltationem, & gaudium sanctæ suæ Ecclesiæ longæua prosperitate custodire dignetur, Pater dilectissime.

EPISTOLA XXXV.

Charissimo Hermano Aquilæ
Antistiti, †

ALBINVS SALVTEM.

† Iuuenensius id est, Saluburgensi.

SI mihi gerulus gratus occurrisset, sepius tuæ scripsiffem dilectioni, ut literis implerem, quod verbis non potui, & charitatis dulcedinem, lingua tacente, apices monstrarent. Hoc dedit DEVS ablentibus in solatium, ut per chartas loqui potuiffent, & necessaria proferre in eor alterius, dum animus graui carcere corporis circumseptus, suæ naturæ velocitatem explicare vellet, indices literas fraternus amor sibi inuicem dirigeret.

Quid de gloria Sanctorum dicendum putas? vbi nulla tarditas sarcinæ corporalis piæ volûtati obsistit, quin quod placeat, impleat. Quid est hoc seculum nisi miseria, & velut umbra fugax, & seducens delectatio?

Festinemus tota mentis intentione ad illam requiem quam

quam nullus dolor perturbat. Ascendamus per gradus charitatis ad illam ciuitatem, in qua DEVS solus rex regnat in æternum. In qua, tota beatitudo sine vlla miseria viger, & valet. Vt ad illam peruenire mereamur, eodem auxiliante rege, nos inuicem exhortemur, & velociore charitatis cursu, tardio rem admonitionis sedulitate trahat. Tum etiam fraterna diligentia, socordiam castiga, vel tuæ sanctitatis precibus iacentem releua, vt fraternæ dexteræ ducatu, non lasseseat in via veritatis, qui hucusque se voluebat in seculi ceno.

Veniens veniebam ad sancti AMANDI protectoris nostri dulcissimas mansiones, quærens amatorem meum, vt eius dulcissimo alloquio refrigerarem animam meam: sed quia necdum de nido I V V A V E N S I auis optata euolauit, nisi hanc inuitatoriam obuiam illi chartulam, vt nostram agnosceret prosperitatem, vel suam nobis præsentiam designaret.

Fidelis amicus diu quæritur, vix inuenitur, difficile seruatur; cuius dulcedo omnes seculi superat iocunditates. Quid diuitiæ, sine amicis? Auarus aurum quærit. Et quid in auro nisi species vana? Nonne vnus panis esuri-enti melior est, quam mons aureus? Aurum prodesse potest danti, non possidenti. Ideo demus diuitias in præsentia, vt in futuro possideamus illas. Nam pauperis manus gazophylacium est Christi. Nullus melior custos diuitiarum est, quam Christus. Proficientem te, charissime frater, diuina auxilietur gratia in æternum.



L

EPI-

811
812
813
814
24